



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

218. Feria 2. de inevitabili necessitate mortificationis velentium adhærere
Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 7. post Pentecost. 391

tius agant: tam esse ferocem, & non magis horreant. Ad me reflexus disquiram, quid sit, quo me ille magis attraxerat, ne amplius illi subijciar in æternum.

Conf. 3. Quomodo homines spiritu sathanæ seducti divitias appetebant; Christus autem pauper esse voluit: honoribus, & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit: Carnales filios magnum bonum putabant: conjugium prolemque contempserunt: Dolores corporis execrabantur, flagellatus est: contumelias horrebant; omne genus earum sustinuit: Mori metuebant; morte multatus est ignominiosissimâ. Tota igitur vita Christi in terribili disciplina morum fuit, ad quam amplectendam nos ipse hortatur apud D. August. Hom. 34. ex 50. *Hoc à me discite, quod propter te factus sum. O JESU, principium viarum DEI, esto viaticum, & præbe nobis viam ad Regnum DEI.*

MEDITATIO. CCXVIII.

Feria 2. Dom. 7. post Pentecost.

*De inevitabili necessitate mortificationis
volentium adharere DEO.*

Aspiciam virtutis regnum in edito colle,
juxta illud Job. 28. *Nescit homo pretium
ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.*
Petam mortificatione, ut Phoenix renasci.

R. 4

Conf. 1.

Conf. 1. Ordinem ad perfectionem esse Timorem Domini, unde oritur compunctio cordis, ex ea contemptus rerum, exinde humilitas, & sui abnegatio, & deinceps viciorum extirpatio, studium virtutum, puritas cordis; quâ obtinetur charitas, & per eam perfectio. Bene itaque ait D. Aug. serm. 131 de Verb. Apost. *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis (non solum veritas) sed etiam illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, quas non habere perfectio est: spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, inserimere, calcare jacentes, & mortuas, transire ad vivas, & cum iis colligere.*

Conf. 2. Hoc proficienti in Christiana perfectione certum esse, quod siue interna mentis, siue externa corporis disciplina, siue jugi mortificatione parum valeat, & diu durare non possit: quia infirmitas carnis fervore, ignavia solitudine cordis, prava consuetudo conatu in contrarium restituitur, Dei beneplacitum subjectione affectûs quaeritur, unde recta oriatur intentio, quæ impossibilis est durante affectu inordinato: ex rectitudine autem intentionis procedit tranquillitas imperturbabilis, ex tranquillitate puritas mentis, ex puritate lux, qua Deus semper & ubique videatur.

Conf. 3. Hinc inferri, quod non respiciendum,

Feria 2. Domin. 7. post Pentecost. 393

dum, quid alij faciant mali, sed quid boni ego facere debeam, secundum vocationis, & virium, tam spiritualium mēsuram, quā corporalium. Lugere præterita, spernere vana præsentia, meditari futura. Quod ne tristis, amarus, turbulentusque faciam: sed lætus, dulcis, & tranquillus, excitabit me dignitas mortificationis, cujus Spiritus est à Deo: ad Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: immortificationis autem spiritus est ex diabolo, Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Utilitas, quā satisfacimus, meremur: quòd si labores pro perituris divitijs, aut honoribus sustinentur, cur non pro æternis? Exempla denique Christi, Sanctorumque. Cū duobus modis habeatur mortificatio, vel infusa à Deo, ideo eam petam: vel usu, & exercitio, ideo me in ea exercebo, offerendo eam Patri æterno, in unione Passionum, & laborum Christi.

MEDITATIO CCXIX.

Feria 3. Domin. 7. post Pentecosten.

*De odio sui, paradoxo Evangelij
præcipuo.*

Intuebor amorem proprium corporis peccati caput: quia non tantum homo homini, sed ipse homo sibi lupus est, inordinate

R s so